



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 1. Sententiæ adversariorum probantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quæst. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 53

QVÆSTIO IX.

Vtrum Deus faciat ens rationis.

SECTIO I.

Sententia aduersariorum probantur.

Rima sententia est eorum, qui asserunt à Deo fieri proprium ens rationis: hanc opinionem defendit Agidius de present. lib. 5. de visione Dei, quæst. 6. artic. 10. §. 7. Smigleus tom. 1. Logica disp. 1. quæst. 8. P. Gilius tract. de distinct. rationis, Albertinus, qui licet neget Deum facere distinctionem rationis, ait tamen nullam dari implicationem ad hoc vt Deus faciat relationem rationis; hæc sententia probatur primo ex D. Thom. 1. part. quæst. 15. art. 2. ad 3. vbi sic ait: [respectus quibus multiplicatur idææ, non causantur à rebus: sed ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res,] & in solutione ad §. sic ait respectus multiplicantes idææ non sunt in rebus creatis: sed in Deo, & postea subdit, ne quis fortè responderet esse in illo fundamentaliter, ratione perfectionis essentia, quæ secundum se est multipliciter imitabilis, dicendo non tamen sunt reales respectus, sicut illi, quibus distinguuntur personæ: sed respectus intellecti à Deo, quibus omnibus verbis plane conuincitur de sententia D. Thomæ, respectus rationis, & distinctionem per rationem consistam fieri à Deo.

Secundò de nouo à me excogitato argumento contra me sic insurgo: hæc est vera propositio in Christo Domino recepta ab omni Schola Theologorum, Deus prædestinavit hunc hominem ad esse filij naturalis: sed prædestinatio est ordinatio, seu ordo obiecti, vel subiecti prædestinati ad terminum prædestinationis: ergo hic homo est ordinatus à Deo ad esse filij Dei naturalis, quia hic homo est subiectum prædestinationis, & esse filij Dei naturalis est terminus illius prædestinationis. Illa minor sic probatur, ideo Beatus Petrus ordinatur ad beatitudinem cælestem & supernaturalem, quia prædestinatio est ordinatio, Divus Petrus est subiectum prædestinationis, & beatitudo est terminus illius prædestinationis: ergo prædestinatio est ordinatio, seu ordo subiecti prædestinati ad terminum prædestinationis. Tunc sic in Christo Domino hic homo & esse filij naturalis non sunt extrema realiter distincta, sed potius identificata realiter: nam idem est esse hunc hominem, & esse hunc filium Dei naturalem, quia hic homo constat ex supposito diuino, & hac humanitate Christi, & hic filius Dei naturalis nihil aliud est quam subsistentia Verbi, & hæc humanitas suppositata per illam, ita vt ex hac humanitate & subsistentia Verbi, constituentur identicè hic homo, & hic filius Dei naturalis, qui sine aliqua distinctione identificantur realiter: ergo si talis prædestinatio est à Deo prædestinante, Deus enim & non alius prædestinavit hunc hominem ad esse filij Dei naturalis, & talis prædestinatio est ordinatio seu ordo necessario erit à Deo ordo, seu

ordinatio inter hunc hominem & esse filij Dei naturalis: ergo sit à Deo ordinatio seu relatio rationis. Patet hæc vltima consequentia, quia tunc est ordo seu relatio rationis, quando extrema inter quæ reperitur talis ordo, non realiter sed solum per rationem distinguuntur, vt patet euidenter ex omni, tam Philosophorum quam Theologorum vnanimi consensu. Item ex conditione necessaria ad relationem realem, quæ necessario vt talis sit, petit extrema realiter distincta vt in Metaphysica, & Logica latè demonstratum manet; præcipuè si loquamur de relatione prædicamentali, & non transcendentali, vt est hæc, quæ minimè transcendentalis est, alias prædestinatio esset de essentia huius hominis prædestinati, omnis enim relatio transcendentalis est de essentia illius, cuius relatio est; ratio autem quare relatio prædicamentalis petat duo extrema realiter distincta inter se est, quia inter extrema relata datur realis oppositio: sed non potest dari realis oppositio nisi inter extrema realiter distincta, ideo enim inter prædicatum, & subiectum; inter genus & differentiam, inter vniuersale, & particulare non datur relatio realis: sed rationis, quia non distinguuntur realiter: ergo. Sed hæc extrema hic homo & esse filij Dei naturalis inter quæ datur illa ordinatio prædestinationis vt probauimus non distinguuntur realiter sed tantum per rationem: ergo talis ordinatio, seu relatio erit non realis sed rationis; atqui talis ordinatio sit à Deo: ergo à Deo fit ordo, seu relatio rationis.

Tertiò, quia facere ens rationis nihil aliud est, quam dare illi essentiam, & existentiam obiectiuam per conceptum, & representationem: sed Deus enti rationis à se cognito dat per conceptum, & representationem diuinam distinctam essentiam & existentiam obiectiuam, ab existentia, quam tribuit illi intellectus creatus: ergo Deus facit ens rationis.

Confirmatur, quia esse obiectivum quod ens rationis habet in mente diuina, non est illud ipsum esse obiectivum quod habet in mente creata. Tum quia antequam haberet existentiam ab ente creato ab æterno habebat à diuino. Tum quia illa existentia prouenit à representatione: ergo à diuersa representatione prouenit diuersa existentia: ergo à diuina, quæ est infinitè diuersè creata, proueniet diuersa existentia.

Dices illud ens rationis cognosci à Deo, vt factibile vel vt factum, aut denique vt faciendum à creatura, non tamen fieri à Deo.

Contra, quia sicut à creato intellectu, ideo dicitur factum, quia ab eo esse obiectivum recipit quod nec est nec potest esse realiter, ita similiter ab intellectu diuino noua ratione accipit esse obiectivum, quod nec est nec potest esse realiter.

Deinde ens rationis habebat actu ab æterno in mente diuina esse obiectivum cum actu esset obiectum diuinæ cognitionis: sed illud esse obiectivum erat existentia entis rationis: ergo erat actu existens ab æterno in mente diuina; sed vt sic cognoscebatur: ergo cognoscebatur vt existens, etiam factum non à creato intellectu, quia ab æterno nullus creatus intellectus extitit: ergo à mente diuina; ergo non vt factibile solum vel vt faciendum, sed vt iam factum à se, & vt faciendum à creaturis cognoscebatur.

Vltimo Deus cognouit suam voluntatem & 6
§ 3 distin

distinctam ab intellectu suo: sed hæc distinctio non est realis: ergo rationis. Maior probatur, ea quæ separantur in ea ratione, quæ separantur, distinguuntur: sed in mente diuina separantur intellectus & voluntas diuina: ergo distinguuntur in mente diuina: Maior clara est, minor probatur, Deus cognoscit Verbum diuinum procedere per intellectum, & non per voluntatem: ergo in cognitione diuina voluntas non est produciens Verbum, & est produciens intellectus in cognitione diuina: ergo in cognitione diuina separantur quoad filij productionem: ergo distinguuntur in mente diuina.

7. Secunda sententia est eorum, qui asserunt Deum facere ens quoddam rationis, quod non est propriè tale, sed potius est verum & à parte rei, vocatur tamen ens rationis, quia est minima, & imperfecta entitatis; hanc sententiam defendunt Fonseca 4. Met. cap. 2. questione 10. sect. 3. cap. 4. & alij.

16. Probatur primò, negationes & priuationes sunt entia rationis: sed huiusmodi entia efficit Deus: ergo Deus efficit entia rationis. Maior clara est & sumitur ex Aristotele 4. Met. cap. 2. textu 2. & lib. 9. cap. 7. textu 14. Minor probatur, quia Deus cognoscit directè huiusmodi entia: sed cognitio directæ est effectio: ergo Deus efficit; quod autem Deus cognoscit directè probatur, quia Deus videns oculum, & visum, iudicat visum non esse in oculo cæci, vt aduersarij fauentur: ergo iudicat carentiam visus esse in oculo: sed huiusmodi iudicium non potest dari, quin detur directæ cognitio negationis, seu priuationis: ergo.

8. Secundò, quia si propter aliquam rationem Deus non faceret entia rationis, maximè quia sunt entia ficta, & concepta tanquam entia, ea, quæ non sunt talia, quæ concepta propter suam imperfectionem, non potest conuenire intellectui diuino: sed hoc est falsum, quia entia rationis logica sunt sine fictione & sine falsa cognitione, secundum D. Thom. Duran. Herueum, caterosque Theologos, qui admittentes secundas Logicorum intentiones, dicunt esse entia, quædam vera, & positiua, debilissima tamen entitatis, & quæ solum conueniant rebus ratione existentia obiectiua, quod clarissimè iam relatus Angelicus Doctor, opusc. 48. tract. 2. cap. 1. vbi ait, non esse entia realia, sed intentiones; vnde non negat entitatem, seu realitatem: ergo non repugnat per intellectum, &c.

9. Tertiò, quia ens rationis participat rationes entis vt sic communes enti reali, & rationis: sed ens vt sic quatenus commune est entibus realibus non est ens fictum, sed verum: ergo ens rationis participat veram rationem entis: maior clara est ex Aristotele dicente ens diuidi in reale, & rationis: sed hæc diuisio non est merè æquiuoca: ergo analogà; atqui si non esset verum ens de quo loquimur non esset diuisio analogà, sed solum nominis, & æquiuoca: ergo.

Quartò, Deus cognoscit denominatione extrinseca creaturam, in esse dilectæ, & amata, quatenus amat, & diligit illam, amatum enim esse, & dilectum denominatio extrinseca est, sed denominatio extrinseca, vt minimæ entitatis est ens rationis: ergo Deus facit, & constituit ens rationis.

SECTIO II.

Aliqua certa notantur.

Ad tituli quæstionis intelligentiam aduertendum est contra Fonseca. Gil. & alios ex Thomistis hanc quæstionem solum loqui de entibus, quæ propria entia rationis sunt, quæque ficta, & non vera, seu apparentia vocantur, minimeque à parte rei reperiuntur, nec habent esse ante omnem fictionem intellectus; nam si ea vocemus entia rationis, quæ verè reperiuntur à parte rei, & positiua, vel negatiua sunt, debilissima tamen entitatis, & quæ habent proprium esse ante omnem fictionem, & operationem intellectus, potius est elusio vocabulorum, quam recta entis rationis assignatio; ea enim entia realia appellanda sunt absolute, & minime entia rationis, alias species intentionales vocarentur entia rationis, quia debilissima entitatis sunt & vocantur ab omnibus Philosophis. Item, modi omnes, vt actiones præsentia, figura, &c. quæ debilissima entitatis sunt, & hæc de causa distinctio, quæ ad modos consequitur minima omnium distinctionum dicitur, ideoque ab aliquibus solet dici, modum identificari realiter cum re cuius est modus, & nihilominus licet debilissima, & minima entitatis sint hæc, vera entia realia sunt, & nominantur verè, quia ante omnem fictionem intellectu reperiuntur, veramque habent nullo configente intellectu entitatem, quapropter talia debent iure optimo nuncupari, vt de facto nuncupari asserimus; imo licet non habeant entitatem positiuam, vt sunt cæcitas, mors, vacuum &c. cum tamen sine fictione dentur à parte rei, ante omnem operationem intellectus non sunt dicenda entia rationis: sed entia realia negatiua, vel clarius, & rectius carentia reales, vt supra latè demonstratum manet, & ratio vniuersalis horum omnium euidentis est, nam modi habent positiuam rationem essendi à parte rei: ergo ab hac potius entia realia, quam à nostra fictione entia rationis nominanda sunt, cum habeant essendi modum perfectiorem à parte rei, à quo possint denominari talia, & idem dicendum est de omnibus, quæ à parte rei verè sunt, licet minimæ, & debilissima entitatis sint, & carentia similiter, vt priuationes, & negationes minimæ entia rationis nuncupari debent, propter rationes efficaces, supra positas, de eis enim omnibus, siue falso vocentur, vel verè non vocentur entia rationis, non loquitur quæstio præsens, si secundum rigorem metaph. & non secundum abusum Fonseca loquamur; nec inquit titulus quæstionis, an Deus faciat huiusmodi entia, alias idem esset, ac si quæreretur, vtrum entia, quæ dantur à parte rei verè, licet debilissima, fiant à Deo, de quibus nulla dubitatio inter Theologos catholicos Philosophosque Christianos potest agitari, cum certum sit, omne quod est à parte rei dependere ab omnipotentia Dei per immediatum influxum, vt entia positiua, vel per mediatum, vt carentia; ex eo enim quod produciatur homo, quasi indirectè produciatur negatio equi, & ex eo quod substrahatur concursus ab oculo, conservante potentiam visum quasi relictat priuatio illius, cæcitas nimirum in oculis, itaque